



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam  
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum  
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Pro amore Dei & proximi, ad eandem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

**A** mabilissima virgo Maria, impetra mihi à filio tuo, vt occidat in me & auferat omnes carnales, mundanas, priuatas, & creaturarum affectiones, extinguat in me omnia illicita desideria, omnemq; amorem inordinatum, & impleat cor meum castissimo, suauissimo ac feruentissimo tui amore, ardentissima & perfectissima charitate Dei & proximi.

*Ad B. Virginem.*

Ah vulnera cor meum dulcissima Virgo Maria, vt tui amore totus inardescam & langueam, Deoq; charitate perpetua inseparabiliter inhaeream.

Ah vtinam omnium transeuntium rerum & etiam meipsum oblitus, nihil cogitem, nihil diligam nihil desiderem, nisi Deum & te dulcissimam Dominam meam sanctam Mariam, Amen.

*Pro diuini amoris repletionem ad B. Virginem Mariam, precatio.*

**O** Regina caelorum dignissima Dei mater virgo Maria, pauperulus ego homuncio obsecro te per singularem illam prerogatiuam prae cunctis mortalibus tibi praestitam, vt, scilicet, voceris & reuera etiam sis Dei mater, Angelorum domina, caeli regina, hominumq; mediatrix, vt ex toto corde meo omnem tam carnis, quam mundi amorem atq; vanitates extirpes & euellas, repleasq; illud diuinissimi amoris tui, quo tu semper plena fuisti, balsamo, ita vt nil terrenum libeat, nilq; carnale mentem meam à caelestium contemplatione, praepediat, Amen.

*Pro diuina gratia illustratione, & virtutum quotidiano incremento, precatio.*

**O** Iesu candor lucis aeternae ac omnis boni origo atq; principium, obsecro te per tuam largisimam pietatem, misericordiam, & liberalitatem, illustra cor meum splendore gratiae tuae, & accende illud igne immensa charitatis tuae, & fac ex eo tibi purissimum perpetuumq; habitaculum, in quo iugiter moreris, meq; secundum tuum beneplacitum regas ac gubernes. Et quia verè pauper & inops sum, omnibusq; bonis & donis tuis indigeo, dignare quaeso sanctissimis tuis virtutibus animam meam excolere & exornare, vt quotidie in omni virtute & vitae sanctimonia proficiam, antiqui hominis sordes exuam, & te Dominum meum, quies via per quam ad aeternam vitam peruenitur, perfectè induam, perfectissimamq; tuam humanitatis conuersationem in corde ac interiori animae meae fundo scribam, quatenus ex integro me relinquam, atq; omnibus creaturis ex vero amore te anteponam & praferam.

Ah pie Iesu vel iam tandem sufficiat mihi aberrasse à te, & in vitiorum meorum sordibus haesisse, exulasse etiam tã diu à te in huius peregrinationis & exilij tenebris.

Recipe obsecro vltro reuertentem ad te, vt corpore & voluntate de vitijs ad virtutes transiens, ad te, qui verè es terra sancta nobis promissa, & beatorum omnium in caelesti patria commorantium satietas & beatifica visio, peruenire merear, Amè.

*Pro sui humiliatione, precatio.*

**O** Iesu summa mea benignitas, per omnes tuas ignominias ac molestias, quas in tua passione pro mea salute sustinere dignatus es, te suppliciter oro, vt omnem à me animi tumorem prostriges, concupiscentias & affectiones omnes rerum temporalium funditus occidas, mihiq; feruentissimum me abiiciendi, contemnendi, humiliandiq; desiderium tribuas, atq; sub omnibus creaturis cor meum superbum ac inflatum deprimas, Amè.

*Pro*